

arteriæ notabili, per simplicem nervosi generis  
consensum & Spasmodicam ejusdem contractio-  
nem. Sic Villisius commemorat, in homine quo-  
dam, post pleuritidem, tussim siccam, per totam vi-  
tam, fuisse molestam, in cujus cadavere, post mor-  
tem, materia caseosa, intra pleuram & musculos  
intercostales, reperta fuerit. Similiter a ventriculo,  
lymphæ acri vellicato, item a diaphragmate male  
affecto, tussim quandoque, per consensum generis  
nervosi, excitari posse, non est improbabile. Com-  
probat hoc historia Bartholini, qui tussim invete-  
ratam, per annum, in vacca observatam fuisse cent.  
6. hist. 97. refert, in qua salvis pulmonibus, reper-  
tum fuit jaculum, diaphragmati infixum, & hepar  
inflammatum.

#### IV.

Recte itaque Celsus monet, tussim multis mo-  
dis contrahi posse, cum omnia, quæ tracheam ex-  
asperant, & Spiritus in nervis ejus, atque mem-  
brana, potissimum interiori, irritare ac in motum  
p. n. cogere possunt, ea tussim quoque excitent.  
Faciunt hoc quandoque causæ intra, quandoque  
extra nos existentes, & per respirationem in nares  
attractæ. Quod ad causas externas attinet, in il-  
larum censum primo venit aer, qui pro diversa  
sua indole, & partibus quas continet, modo cali-  
dus,